



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus VII. Vestes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Nullus suavior animo cibus, quam cognitio veritatis. Lactantius. l. 1. inslit. de falsa rel.

Naturam hominis Deus veri adipiscendi cupidissimam fecit. Idem l. 3. inslit. div.

Primum, quod creavit Deus, fuit lux: & primum, quod creat in homine, est cognitio veritatis; quam dæmon in iis, quos suorum albo inscribit, obliterat. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 73.

§. VI.

*Veritas opposita mendacio.*

## TITULUS VII. VESTES.

§. I.

*Luxus vestium.*

*Ex Veteri, & Novo.*

**F**ecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas pellicæ. Gen. 3. 21. Quid homo gloriaris veste; cum illa sit nota peccati? Cornelius hic.

Arca testamenti intus erat aurû obducta, & ciliciò foris cooperta. Exod. 26. Sit anima tua charitate plena; exteriùs, qualem se in vestitu ostendat, parum refert. Stella de cont. &c. p. 1. c. 40. Deus pretiosiora vilioribus vestimentis induit: Auri vestis terra: Uniones, margaritas, conchis includit. Quid pretiosius anima? quam illi vestem dedit? *pelle, & carne, vestisti me; ossibus, & nervis, compegisti me.* Job. 10. 11. Quid pretiosius Deo? quando se voluit induere, induit Humanitate. *Habitu inventus ut homo.* Philipp. 2. 7. Cur ergo corpora vilissima tam exquisitè vestiantur? Diez D. 2. Quadr.

*In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, & innocentium.* Jer. 2. 34. In vestimentis tuis, quibus ad ostentationem, velut colorata avis, induebaris, inventus est fudor, & sanguis, pauperum quos injustis mediis oppressisti. Junghen Nupt. Agni Exh. 8.

*Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Matth. 11. 8. Adverte Christum dicentem: qui mollibus vestibus induuntur, in domibus regum sunt: qui verò talia vestimenta non habent, in caelis sunt. S. Chrysol. hom. 29. in ep. ad Hebr.

*Induebatur purpurâ.* Luc. 16. 19. Valde absurdum est, putridum cadaver pretiosâ veste ornari; unde possent multi pauperes sustentari. S. Bonaventura hic.

*Mulier erat circumdata purpurâ.* Apoc. 17. 4. Sic Babylon ornatur; sic ejus filij, & filia. At de Ecclesia Apoc. 12. 1. *Mulier amicta sole.* Cultus ejus splendidissimus, non è terra, sed cælo. Quod aurum, quæ gemmæ, quo purpura, cum sole conferre possunt, Baradius D. 2. Adv.

*Ex Patribus, & aliis.*

Vestes pullas æquè devita ut candidas. Ornatae sunt sordes; pari modò fugiendæ sunt: quia

**B**onum liliu veritas, candore conspicuum, odore præcipuum. S. Bernardus f. 70. in Cant.

Non amat latibula veritas, non diversorijis delectatur, non angelos quærit: appetit autem publicum, cupit coram omnibus prædicari. S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 8.

Ludovicus XI. Gallie Rex agebat; se in Aula omnibus rebus abundare, exceptâ unâ. Rogatus, quænam ea esset? dixit: Veritas. Cornelius in Exod. 18. 21.

alterum delicias, alterum gloriâ, redolet. S. Hieron. ep. 2. ad Nepotianum.

Verus ornatus maximè Christianorum, & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax; verum nè auri quidem, vestisq; pompa; sed mores boni sunt. S. August. ep. 73.

Cæterum si te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolcescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas: ut, etsi ipsa non peareas, alios tamen perdas; & velut gladium te, & venenum, videntibus præbeas. Excusari non potes, quasi mente cassâ sis, & pudicâ. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus: nec computari jam potes inter puellas, & Virgines Christi; quæ sic vivis, ut possis adamari. S. Cyprianus l. de discipl. & habitu virginum.

Sericum, & purpuram, induit Christum induere non possunt: aurû, & monilibus, adornatæ ornamenta cordis ac pectoris, perdidierunt. Idem ibidem.

Impossibile est, aliquam agere curam animæ; & tantî facere corporis pulchritudinem, & ornatum. S. Chrysol. hom. 57. in Gen.

Margaritæ minus damnosè projicerentur ad porcos, & utiliùs ad medicinalia frangerentur; quam quòd collo, aut capiti, aut apponerentur vestibus mulierum. Pretiosa vestis ornat Judæam, sive Paganam; sed derurat omnino in moribus scæminam Christianam. Non enim vestis debet esse pretiosa; pro quibus mors Christi extitit pretiosa; nec in pretio vestimentum, pro quibus sanguis Christi est pretium. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ. c. 3.

Certissimè scias, quòd quoties scæminæ delinunt facies suas colore hybiò, & extraneò; toties diminuitur eis infusio aliqua S. Spiritûs; & diabolus magis appropinquat eis. Quoties verò ornant se vestibus in decentibus, & inordinatis; toties ornatus animæ diminuitur, & diaboli potestas augmentatur. O inimici mei, qui talia facitis, & alia peccata meæ voluntati contraria efronates committitis. Quare neglexistis Passionem meam? & non attenditis in cordibus vestris: quomodo ego nudus steti ad columnam ligatus, duris flagellis crudeliter verberatus. Quomodo ego nudus stabam, & clamabam in cruce, repletus vulneribus, & vestitus sanguine. Et quomodo

quomodo vos depingitis, & ungitis, facies vestras. Cur non aspicitis ad faciem meam, qualiter sanguine repleta fuerit &c. Revel. S. Brigittæ l. 7. c. 27. V. C.

Anno 1518. Princeps sacri Ordinis, (nomen prætereo) talarem tunicam habuit, suffultam pellibus, quas pellicia è carduelium, seu acanthidum, capitellis opere mirò confecit. Drexelius in Trismegisto l. 3. c. 9.

Parisiis vetula juvenulorum mortuorum crines præciosos formosos sibi in comam adaptaverat: hæc tempore processionis in medio fori à simia raptâ. Broynaard. Vestium luxus.

Vestes sumptuosæ signum interioris vilitatis. Parietes rudes diligentius exterius ornantur, & pinguntur, quam marmorei, vel aurò ornati: quia hi potius deformarentur. Idem. Vestes sumptuosæ.

## §. II.

*Sub vestibus splendidis animus sordidus.*

**I**nduebatur purpurâ & bysso. Luc. 16. 19. Expressit Lucas divitis ornamenta ex purpura, & bysso: ut depravatos hominum mores exprimeret. Cur Matth. 3. 4. non exprimit Baptistæ Angelicas virtutes? imò exprimit, dicens: *ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum; & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Cum vestimento vitam exposuit: hoc enim dum operit corpus, aperit animi mores; virtutem, aut iniquitatem, manifestat. Escobar t. 3. Parab. Chr. l. 3. Sect. 1. Obs. 1.

Projiciamus ornamenta terrena, si cœlestia opramus. - Vestite vos sericò probitatis, byssinò sanctitatis, purpurâ pudicitia. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. Tertull. l. de cultu fœm. in fine.

Corporis, ac vestium, fragrantia arguit; intus latere animum graveolentem, & immundum. Spiret anima tua fragrantiam spiritualem. S. Chrysof. conc. 1. de Lazaro.

Mollia indumenta animi molliem indicant. Non tantò curaretur corporis cultus; nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. S. Bernardus Apol. ad Guilielmum. Abb.

Rex quidam magnus, cum iter faceret, contigit, ut duos viros laceris, & sordidis vestibus, obvios haberet. Quos ut vidit, è curru desiliens eos honoravit, & genua procidit. Proceres id molestè ferebant. Jussit autem Rex è ligno quatuor arcas effici; quarum duas cum undique aurò contexisset, foetidæque cadaverum ossa injectisset, aureis seris eas obfirmavit. Reliquis autem, pice, ac bitumine, oblitis; pretiosisque lapidibus, omnique unguentariâ fragrantia impletis, aspersisque funibus constrictis: proceres illos ad se vocavit, ipsisque quatuor has arcas proposuit: ut, quanti hæc, quantique illæ, pretii essent, æstimarent. Illi autem inauratas maximi pretii esse asserbant; at aperiri arcas jussit: typumque ostendit eorum, qui splendidis utuntur vestibus, intus pleni flagitiis. S. Joan. Damian. histor. de Barlaam, & Josaph. cap. 6.

Cygnus est avis candida, extenti colli; magna corpore, nigra carne. Et significat illos; qui splendore vestitus plus æquò gloriantur,

nigri intus ingredine peccatorum. Hugo Card. in Levit. 11. 4.

Et reges olim habitu communi utebantur, dum innocentia adhuc noscebat mortales. Ubi innocentiam exuerunt, simul exuerunt pudicitiam; & sericò ornatu vitia induerunt. Non tot in pannosa veste pediculi serpunt, quot in pretiosa veste culpæ. Alvarez in Gen. 37. 3. Illustr. 30.

## §. III.

*Sub veste pretiosa magna saepe fames, & paupertas.*

**E**xagitabat eum Spiritus nequam à Domino. 1. Reg. 16. 14. Quarunt interpretes, qualis hic Spiritus fuerit? Abulenti, Spiritum melancholiæ fuisse, ait. Et ex medicamine apparet: citharæ enim sonò malum sopiebatur. Abul. q. 34. non poterat tristitia præfens expelli, vel leniri, nisi per magnam delectationem. En Saul purpurâ fulget, diademate redimitur, opimâ mensâ cibatur: verum sic internis urgetur doloribus; ut summis indigeat delectationibus. Naxera in Jos. 15. §. 38.

**Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua.** Job. 1. 20. Cur demon, ablatis reliquis facultatibus, vestes reliquit? Eadem versutiâ regalem permisit purpuram, quâ omnem profus abtulerat fortunam. Reliquit vestes: ut splendidior, sed miserabilior, esset miseria. Semel miser est, cujus miseria nota: bis, cujus miseria feliciter vestita. Naxera in Jos. 15. §. 39.

**Vestimentum tibi est: princeps esto noster.** Isa. 3. 6. Splendida vestis divitias indicabat: sed quâ homo ille premeretur inopias, audi: *in domo mea non est panis.* Panem domi non habuit; quia ornatu fulgebat. Naxera in Jos. 9. §. 4.

**Nihil invenit, præter folia.** Marci 11. 12. Cum vidisset à longè ficum, habentem folia; venit, si quid fortè inveniret in illa. Foliis nitet; sed fructibus vacua. Cum venisset ad eam, nihil invenit, præter folia. Fortè fructibus dives esset, ni labili foliorum arrogantia abundaret. Folia habuit, fructus non habuit: latiori ornatu fulget; sed cibus caret. Idem in Jos. 4. §. 4.

**Videbam Sathanam sicut fulgur de celo cadentem.** Luc. 10. 18. Levius illi fuisset, tenebris ruisse obscuratum, quàm splendentî lumine: ad pœnæ augmentum lucis erat operimentum: intus ardebat, foris lucebat: nescio, an lumine, an igne, plus torqueatur? & externæ compassionis caruit solatio. Idem in Jos. 15. §. 39.

**Abstulit me in Spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam. Et mulier erat circumdata purpurâ &c.** Apoc. 17. 34. Cur mulier sumptuosè ornata non civitatem, sed desertum, inhabitat? Desertum nil ad vitam alendam profert. Mulier ergo, & pompâ fulget, & desertò tegit: ut noscas, carere victu, quæ abundat amictu. Idem in Jos. 9. §. 4.

Chameleon pelliculâ vivit-hebes, fessus, vix se à terra suspendit: gradum magis demonstrat, quàm explicat: jejunos scilicet semper-

Hoc

Hoc solum Chamleonti datum, quod vulgo dictum est: de corio suo ludere. Tertull. de pallio c. 3. De corio suo ludit, semper jejunos, & semper nitidus: Stomachus alget, & vestis nitet. Naxera in Jos. 9. §. 4.

Vestis fulgurat; sed crumena pallet. Data est ei stola, & annulus; sed vitulum esurit, & glande vestitur: Purpurâ, & byssô, vestitus; epulatur quotidie miserè. Unus, idemque, & epulonem in veste exhibet, & fame Lazarum. Oliua l. 4. Strom.

## §. IV.

*Exempla modestie in vestitu.*

Virgo Cunegundis Imperatrix uxor Henrici I. Imp., extincto conjugè migrans in claustrum, positis insignibus Imperialibus, Religiosum induit habitum. Moritura ad agonem supremum se accinxit. Advertens autem, Religiosas expandisse aulae, & tapetia, regia, quæ tegerent corpus emortuum; exclamat: tollite mox ista hinc: sapiunt enim vanitatem, & dedecent sponfam Christi. Melius mihi consulatur hac humili veste, quam superbis his aulais. Historia Imper. sub anno 1040.

S. Elisabeth Ungariæ regina saepe sub holoferricis vestibus cilicium gestabat. In vita surius 19. Novemb.

S. Francisca Romana, licet uxor esset nobilis, & ditissimi viri; vilibus tamen vestibus induebatur. Bollandus. 9. Martii.

## §. V.

*De vestimentis varia.*

Ornatus Pontifex Ex. 28. §. Creaturarum omnium typum gestabat in vestibus sanctis; in quarum coloribus totius Mundi similitudinem præferbat. Byssus enim terræ deputatur, de qua gignitur: purpura mari, quia ex ejus cochleis tingitur: hyacinthus aëri, cujus speciem habet: Coccus, propter ruborem, igni ut auctori. Arnoldus Carnot. tr. de 6. & 7. Verbo Christi.

Solet sub nigro habitu anima satis pura latitare: nec multum interest, si quis non habeat candidam vestem. S. August. l. 2. Dom. in oct. Pasch.

Obsecro, quicumq; hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multo magis eligerem tunicam Pauli (Eremitæ) cum meritis ejus; quam regum purpuram in pœnis suis. S. Hieron. ex vita S. Pauli Eremitæ.

S. Apollonii, qui fuit Pater quingentorum Monachorum, miræ sanctitatis viri vestimenta non veterascebant, inquit Palladius in Lausica c. 52.

## TITULUS VIII.

### VIA.

*Purgativa, Illuminativa, Unitive.*

**A**nquam comedam, suspiro. Job. 3. 24. Antequam comedat, suspirare habet necesse: qui nisi per compunctionis gratiam, & post lacrymarum effusionem, ad intimam animæ refectionem, veritatisque pabula, nullò modo potest peringere. Richardus à S. Vict. de erud. hom. l. 1. c. 16.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Tria sunt oscula: Primum pedum, secundum manuum, tertium oris. Cum primò convertimur, pedes Domini osculamur. Secundum osculum fit, cum primùm ad opera bona surgimus. Tunc manus Domini osculamur, cum ei nostra bona opera offerimus; vel cum ab eo virtutum dona recipimus. At verò tertium osculum tunc fit, cum jam assumptò luctu poenitentiae, jam acceptis virtutum donis, mens cœlesti desiderio inspirata, ad secreta interioris cubicali gaudia, impatiens amoris introduci desiderat; cum dulcibus suspiriis, vocem animi interruptibus, piò cordis affectu decantat: *vultum tuum Domine requiram*. S. Bernardus in parv. serm. l. 52. In primo osculo primordia dedicantur nostræ conversionis: secundum autem proficientibus indulgetur: porò tertium sola experitur, & rara, perfectio, Idem l. 4. in Cant.

*Surge propera, amica mea &c.* Cant. 2. 10. *Surgere*, pertinet ad eos, qui incipiunt: *properare*, ad eos, qui proficiunt: ad perfectos autem, *venire*. de Ponte hic Exh. 13.

*In lectulo meo per noctes quasi vi &c.* Cant. 3. 1. Nota: triplex lectulus invenitur in hoc libro. *Primus* est tenebrosus: *in lectulo meo per noctes*. *Secundus* est ornatus, de quo: *en lectulum Salomonis &c.* *Tertius* est *floridus*. In primo jacent vulnerati peccatores, id est, poenitentes: in secundo jacent fatigati in bello; id est, proficientes in tentationibus: in tertio jacent delicati; vacantes, otio; id est, contemplantes in excessu mentis. Hugo Card. hic.

Christus post Resurrectionem apparuit in triplici specie. Magdalene in specie hortulani: Discipulis in Emmaus in specie peregrini: & Apostoli æstimabant se Spiritum videre. Illud tempus inter Resurrectionem, & Ascensionem, significat tempus gratiæ; in quo se habet erga incipientes ut hortulanus; cujus officium est nocivas herbas eradicare. Erga proficientes ut peregrinus, eos in via deducendo. Erga perfectos ad modum Spiritus, eos suo amore inflammando. Broynard, Chrysoft, Resurrect.

Plura